

APÉNDICE TERCERO

(CORRESPONDIENTE AL NÚM. 3775.)

Facultates et Declarationes Sac. Pœnit. Apost. pro Regul. violenter suppress.

FACULTATES REGULARIBUS IN ITALIA VIOLENTIA SUPPRESSIS CONCESSAE AUT DECLARATÆ.

*(Valen también para otras regio-
nes, á las cuales la Santa Sede las
ha hecho extensivas.)*

I.

Plurimi locorum Ordinarii, ac Religiosorum Ordinum, Congregationum, et Institutorum Moderatores noscentes quot, et quantæ conscientiarum angustia, ac animarum pericula obventura sint ex infandis legibus a laica potestate in Italia nuper sancitis, quibus Ecclesiæ jura protebantur, Regulares utriusque sexus propriis bonis expoliantur, et ex claustris exturbantur, ad Apostolicam Sedem confugerunt petentes tutam agendi normam, ac salubria remedia, quibus gregi sibi commisso consulere possit. Hujusmodi autem postulationes a SSmo. Domino Pio Papa IX huic S. Pœnitentiariæ commissæ fuerunt ea mente, ut iisdem locorum Ordinariis, ac præfatis Moderatoribus eas communicaret declarationes, ac facultates, quibus, quantum in tanta temporum iniquitate fas est, malis ingruentibus occurri possit.

Quare S. Pœnitentiaria mandatis SS. Domini libentissime obsequens

de speciali et expressa Apostolica Auctoritate omnibus et singulis locorum Ordinariis, quorum territoriis jugum præfatarum legum impositum fuerit, ac Religiosis Viris Superioribus Generalibus cujuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti, cui suppressionis lex indicta fuerit, sequentes communicat Declarationes, ac concedit Facultates, quibus ad annum, si tamdiu iniquæ temporum circumstantiæ perduraverint, cum suis respectivis subditis uti licite, ac libere valeant.

Declarat primo non esse relinquenda monasteria, ac domos religiosas nisi adsit coactio, et proximum periculum violentiæ, et a Superioribus quatenus expedire videatur, præmittendam esse protestationem.

Secundo: maximo studio, ac animi constantia esse custodiendam legem clausuræ contra eos, qui illam, sprete ecclesiasticis censuris, violare non reformidant; verum permitti Ordinariis Monasteriorum, ut eandem legem facili ratione relaxare valeant favore monialium ad eas liberandas quibuscumque anxietatibus in casibus, in quibus Gubernii officiales, et Legis executores clausuram ad inventaria conficienda, aliosque actus civiles peragendos violenter intrare minitentur, adhibitis tamen per eosdem Ordinarios omnibus cautelis, quas prudentia, ac rerum adjuncta suggesse-

sint, ac prævia protestatione sive per eosdem Ordinarios, sive per ipsas moniales facienda meliori modo quo potest, et qua declaretur se cedere violentiæ.

Tertio: licere Regularibus utriusque sexus suppressis titulo compensationis pro damnis illatis sibi a Gubernio debita, percipere pensiones, ab eodem Gubernio assignatas; ea tamen lege, ut quamdiu in communione cum aliis Regularibus vixerint, pensionem apud Superiores suos pro bono totius communitatis deponere teneantur.

Quarto: ad evitanda gravia damna, et ne Regulares utriusque sexus incurant periculum amittendi eandem pensionem tolerari, ut inventaria rerum, ac status monasteriorum conficere, et subscribere valeant, ita cogente eodem Gubernio, et prævia protestatione facienda pariter meliori modo quo potest, et qua declaretur se cedere coactioni, nulloque modo cooperari pravis ipsius Gubernii intentionibus: verum caute et prudenter curandum esse ut res monasteriorum, ac præsertim supellectiles, ac vasa sacra a direptione subtrahantur.

Quinto: curandum esse pro viribus, ut Regulares expulsi a propriis conventibus in alios conventus collocentur, ac recipiantur.

Sexto: quatenus vero Regulares expulsi præsertim ob defectum domorum alibi collocari nequeant, concurrentibus gravibus, justisque causis, super quibus conscientia Superioris Generalis graviter onerata remaneat, ipse Superior Generalis Apostolica Auctoritate eisdem indulgere poterit, ut manere valeant extra claustra sub obedientia Ordinarii loci tanquam sæcularizati ad tempus, et ad nutum S. Sedis, ac ipsius Superioris, et in habitu religioso, ac etiam, quatenus ita ferat necessitas, in habitu presbyteri sæcularis quoad sacerdotes, et in habitu laicali modesti coloris quoad

laicos, seu conversos, retento tamen interius aliquo signo habitus religiosi, servatis quantum fieri potest substantialibus votorum ac relaxatis regulis, quæ cum novo eorum statu minime fuerint compatibles. (Priores vero, sive locales, sive provinciales, nullatenus possunt hujusmodi licentiam dare, neque etiam possunt, licentia a Magistro obtenta, Religiosos eo modo quasi sæcularizatos ad claustra revocare, vel sub propriam jurisdictionem iterum admittere.) (Decret. Sac. Congr. Episc. et Reg., 30 Junii 1881.)

Septimo: quoad vero moniales, quæ propria monasteria deserere coguntur, curandum esse pro viribus per illarum Ordinarios, ut aliud monasterium sui Ordinis, sive aliam domum a respectivo Ordinario designandam ingredientibus ab invicem non separentur, sed vivant simul in unum collectæ, et regulam quam professæ sunt, quantum fieri potest, observare non omittant. Quod si id obtineri nequeat, et moniales cogantur ingredi monasteria diversi Ordinis, Ordinarius monasteriorum, a quibus, et ad quæ ipsæ moniales transferantur, Apostolica Auctoritate indulgere poterit, ut dictæ moniales in monasteria designata recipi, in iisque manere, seque regulis ibi existentibus dispensando super regulis proprii Ordinis, easque moderando accommodare licite valeant, monitis eorumdem monasteriorum Superioribus, cæterisque personis, ut illas quæ par est charitate: suscipiant, atque pertractent. Si vero aliqua ex dictis monialibus justis de causis per Ordinarium examinandis in monasterium seu domum novæ collocationis se recipere nequeant, Ordinarius iisdem monialibus indulgere poterit, ut extra sui monasterii claustra in habitu decenti, retento tamen interius aliquo signo religiosi habitus, apud suos consanguineos, vel honestas matronas, firmo voto castitatis, et servatis

substantialibus aliorum votorum quantum respective ad votum paupertatis et similia in eo statu commode fieri potest, adimpletisque quotidie aliquibus pietatis operibus et piis precibus etiam loco recitationis Horarum Canoniarum ab eodem Ordinario discrete præscribendis, sub obedientia Ordinarii in cujus Diocesi commorabuntur, ad beneplacitum S. Sedis vivere, ac remanere licite valeant.

Octavo: de speciali Indulto permitti Regularibus expulsis, ut de intelligentia Ordinarii loci, ac respectivi Superioris Generalis inter se dividere, et pro suis necessitatibus applicare valeant pecunias in capsâ communi fortasse existentes, nec non supellectiles domesticas, aut alias res usu consumptibiles, sub lege tamen, ut, si ad claustra redierint, pecunias et alias res, quas non consumpserint, Superioribus restituere teneantur.

Nono: facultatem concedit indulgendi Regularibus, ut bona propriæ Religionis, Congregationis, seu Instituti a Gubernio occupata in administrationem suscipere, et etiam conducere valeant, dummodo id cedat in sui Ordinis, Congregationis, seu Instituti utilitatem, et absit scandalum.

Decimo: similiter facultatem concedit, ut bona quæcumque proprii Ordinis, Congregationis, seu Instituti a Gubernio usurpata acquirere valeant per interpositas personas quascumque etiam Religiosas, sibi morum integritate ac fide probatas, quæ per syngrapham bonæ fidei caute custodiendam declarent emptionem licet proprio nomine factam, attamen perfecisse pecuniis et favore Ordinis, Congregationis, seu Instituti, ad quod eadem bona de jure pertinent, aliisque adhibitis cautelis in casu necessariis et opportunis, et sub conditione adimplendi pia onera forsân dictis bonis adnexa, quatenus aliunde non adimpleantur, ac remoto scandalo.

(NOTA. — Articuli 8 et 9 nunc con-

ceduntur tantum Superioribus Ordinum Generalibus, sed hi debent toties quoties petere de iis facultatem a S. Pœnitentiaria. Ita recentissima ejusdem S. Pœnitentiariæ dispositio.)

Cæterum in concedendis Indultis pro recensitis contractibus sive administrationis, sive conductionis, aut emptionis bonorum ecclesiasticorum, tum locorum Ordinarii, tum Superiores Generales de mutua intelligentia, quantum fieri poterit, procedere non omittant.

Contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis non obstantibus.

Datum Romæ, in S. Pœnitentiaria, die 18 Junii 1866. — A. M., CARD. CAGIANO, M. P. — L. PEIRANO, S. P. Secretarius.

II

Quamvis per Litteras die 28 Junii anni proximi elapsi datas, a S. Pœnitentiaria plures editæ fuerint declarationes, atque concessæ facultates, quibus utriusque sexus Regulares in tota ferme Italia degentes, ab angustiis, et calamitatibus, in quas ob suppressionis legem conjecti sunt, aliquo modo levari possent: compertum tamen est, alias inde obortas esse animorum anxietates, aliasque enatas necessitates, quibus non nisi Apostolica Auctoritate occurri potest. Cum enim præfati Regulares propriis domibus exturbati, ac illac, votis solemnibus obstricti peregrinari cogantur, multis agitantur dubiis circa obedientiam propriis Superioribus, et locorum Ordinariis debitam. Accedunt non leves animi perplexitates circa privilegia, ac bona spiritualia, quibus in religiosis claustris abunde fruebantur. Tandem bonis omnibus expoliati in misero, quo versantur, statu facilem non vident rationem, qua suis necessitatibus consulere possint.

Quapropter SS. Dominus Noster Pius PP. IX, tot Regularium utriusque sexus calamitates commiserans,

mandavit, ut S. Pœnitentiaria novis declarationibus, novisque Apostolicis gratiis ipsis Regularibus subsidio veniret.

Sacra itaque Pœnitentiaria mandatis Sanctitatis Suae libentissime obsequens hæc quæ sequuntur decernit:

I. Curandum est, prout jam monitum fuit quoad moniales in præfatis Litteris diei 28 Junii 1866, sub num. 7, ut Regulares a propriis domibus expulsi, præsertim vero Clerici professi, quatenus in aliud cœnobium recipi nequeant, in peculiarem aliquam domum, a Superioribus suis designandam, conveniant, ibique regulam, quam professi sunt, meliori quo fieri potest modo, observare non omittant, facta cuique absque debita licentia discedendi prohibitione.

II. Pariter curandum, ut etiam Regulares, qui extra claustra, et præfatas domos, tamquam sæcularizati ad tempus, vivere coguntur, in sua vocatione permaneant, vota que solemnia, quibus se Deo consecrarunt, meliori similiter quo fieri possit modo, persolvant. Unde omnibus Superioribus Regularibus S. Pœnitentiaria declarat, ipsorum jurisdictionem in proprios subditos suppressos, etiam extra claustra degentes, minime cessasse. Nam licet quisque Regularis degens extra claustra quoad politiam, et disciplinam ecclesiasticam a jurisdictione Ordinarii loci, in quo degit, exemptus non sit, attamen quoad disciplinam regularem et obligationes, quæ ex religiosa professione promanant, et cum novo ejus statu sunt compatibles, propriis Superioribus subesse, eis que obedire tenetur.

III. Decernit, præfatas domos, dummodo in eas tres saltem, ad ibi degendum, convenerint, Regulares, quorum unus ad minus sit Sacerdos, jurisdictioni Ministri Provincialis fore subjectas, easque regendas esse per peculiarem Superiorem ibi constitutum. (In locis ad quos extenduntur hæc instructiones, valent etiam pro

fratribus ex parvis conventibus oriundis, qui antea Episcopo ut Delegato Apostolico subdebantur quoad jurisdictionem et potestatem domini. — *Sac. Cong. Episcop. et Regular.*, 21 Mart. 1897.)

IV. Indulget, ut in iisdem domibus, dummodo in eis quatuor saltem degant Sacerdotes Regulares, erigi possit, servatis de jure servandis, privatum Oratorium, a Ministro Provinciali, sive ab alia idonea persona, ab eo deputanda, visitandum prius, et approbandum, ita, ut in eo Missa a Sacerdotibus Regularibus celebrari, SS. Eucharistia asservari, et a Religiosis, atque Oblatis dumtaxat S. Communio sumi; et præcepto de audiendo sacro satisfieri possit.

V. Indulget pariter, ut in Oratoriis sic erectis ipsi Regulares frui possint omnibus, et quibuscumque SS. Indulgentiis concessit et assignatis domibus, seu ecclesiis, a quibus exturbati fuerunt; juxta tamen formam et juxta tempus in concessionibus et indultis Apostolicis expressum ac definitum; ita tamen ut memoratæ Indulgentiæ in ipsius Ordinis Ecclesiis quibus affixæ, et assignatæ fuerunt, quamdiu iisdem Ecclesiis aliquis Sacerdos ejusdem Ordinis legitima auctoritate propositus fuerit, perdurare, ut antea, omnino censeantur.

VI. Declarat insuper, Superioribus Regularibus integra manere privilegia, quibus hactenus quoad peculiaria proprii Ordinis benedictiones usi sunt, ac similiter integras omnibus et singulis Regularibus utriusque sexus, etiam in sæculo de legitima licentia viventibus, manere SS. Indulgentias personales a S. Sede eisdem concessas, et non revocatas.

VII. Mulieres vero Regulares a propriis claustris expulsas, quantumvis exemptas, et etiam in novas domos juxta Litteras 28 Junii 1866 translatas, decernit, jurisdictioni Ordinarii loci, in quo commorantur, omnino subesse.

VIII. Ordinariis autem locorum facultatem concedit, eisdem mulieribus Regularibus in novis domibus commorantibus Indultum Oratorii privati pro sua prudentia impertienti, adeo, ut servatis de jure servandis, Missa in ipso Oratorio quotidie celebrari et SS. Eucharistia asservari possit, ibique ipsæ Religiosæ, Conversæ, Novitiæ et Educandæ, si quæ sint, aliæque mulieres iisdem domibus addictæ, præter Missæ inservientem, S. Communionem refici, ac præcepto de audiendo sacro satisfacere valeant.

IX. Ipsi præterea mulieribus Regularibus concedit privilegium, ut supra sub num. 5, Religiosis viris impertitum; fruendi, scilicet, in memoratis Oratoriis omnibus, et quibuscumque SS. Indulgentiis, quæ Ecclesiæ, seu monasterio, a quo expulsæ fuerunt, affixæ aut assignatæ erant.

X. Declarat, ac decernit, regularibus suppressis, etiam extra præfatas domos degentibus, licere persolvere Horas Canonicas juxta proprii Ordinis Calendarium, et non obstante defectu tituli sacri, suos Ordines exercere; Missamque in quacumque ecclesia, de licentia Ordinarii loci, celebrare juxta ritum Ecclesiæ, in qua celebrare contingerit; servato tamen proprii Ordinis ritu, si celebrent in propria ecclesia; cujus custodia alicui saltem ex suis confratribus legitime demandata sit, aut in aliquo ex præfatis sui Ordinis Oratoriis.

XI. Declarat insuper, nihil obstare, quominus ipsi Regulares suppressi uti valeant facultate, sibi jam ab Ordinario loci concessa, audiendi sacramentales Christifidelium confessiones; dummodo tamen eadem facultas expirata, aut ab ipso Ordinario revocata non fuerit, ac dummodo ea utantur iis tantum in locis pro quibus approbati fuerunt.

XII. Superioribus tum generalibus, tum provincialibus facultatem concedit, sive per se, sive per alios

idoneos viros Religiosos, ab ipsis deputandos, indulgenti Regularibus sui Ordinis suppressis, ut, durantibus præsentium temporum circumstantiis, quemcumque sive Regularem, sive Sæcularem, ex approbatis tamen ab Ordinario loci, confessarium sibi eligere valeant, a quo etiam, quatenus opus sit, a casibus, et censuris in proprio Ordine reservatis absolvi et super irregularitate, ex violatione earumdem censurarum quodcumque contracta, dummodo occulta remaneat, dispensationis gratiam recipere in foro tantum conscientiæ possint.

XIII. Declarat insuper, quibuscumque Regularibus suppressis, sive in aliqua domo, prout num. 1 commorantibus, sive extra domos religiosas tamquam sæcularizatis ad tempus degentibus, licere confessiones suas sacramentales apud confessarios proprii Ordinis, legitime a suo Prælate approbatos, peragere.

XIV. Iisdem Superioribus Generalibus indulget, ut perdurantibus pariter præsentium temporum circumstantiis, et usque dum aliter S. Sedi visum fuerit, expleto Superiorum inferiorum officio, eos de consilio Definitorum suorum in ipso denuo confirmare, iisdemque alios substituere valeant, prout magis in Domino expedire judicaverint.

XV. Clericis Regularibus jam solemniter professis concedit, ut ad titulum paupertatis, aut ad alium titulum proprii Instituti ad S. Ordines ab Ordinario loci, in quo domicilium habent, aut ab alio Episcopo cum dimissoriis litteris ab eo datis, de consensu proprii Superioris Regularis, et servatis de jure servandis, promoveri, et in ordinibus sic promoti ministrare valeant, donec a proprio Ordine, seu Instituto legitima ex causa dimissi non fuerint.

XVI. Concedit pariter Regularibus solemniter, professis, ut capellanas, aut unum dumtaxat benefi-

cium ecclesiasticum, etiam residentiale, vel cum cura animarum de consensu, et ad nutum Ordinarii loci, ac annuentibus Superioribus suis, in administrationem assequi, et retinere legitime possint, quod tamen dimittere teneantur statim ac ab iisdem Superioribus ad claustra revocati fuerint.

XVII. Facultatem concedit locorum Ordinariis quoad moniales, et Superioribus Generalibus quoad viros Regulares, indulgenti sive per se, sive per idoneas personas ab eis subdelegandas respectivis subditis in Italia suppressis, ut attentis peculiariibus circumstantiis, iisque perdurantibus, non obstante solemniter paupertatis voto, bona sibi legitimo jure spectantia, ac etiam hæreditates, salvo tamen jure tertii quæsito, recipere, adire, ac retinere, deque iis nedum contractus inire, sed etiam in pios, honestosque usus, ac præsertim in favorem sui Ordinis, aut Instituti, nec non in grati animi significationem per actus sive inter vivos, sive causa mortis disponere valeant, accedente ipsius Ordinarii, aut Superioris, vel alterius per eum deputati, aut saltem, in casu necessitatis, confessarii consilio, et approbatione; ita tamen, ut rerum suarum administrationem ac redditus, quamdiu vixerint in Communitate, quæ temporalia bona possidere possit, eidem Communitati tradere, et quidquid ex bonis propriæ Religionis eidem provenerit, ipsi Religioni, adhibitis cautelis, relinquere teneantur. Quod si Communitas sit ex iis, quibus possessio bonorum temporalium permissa non sit, administrationem hoc in casu committant alicui tertiæ personæ ita, ut absque licentia Ordinarii, aut Superiorum Regularium nihil de fructibus sibi applicare, aut quocumque modo disponere possint.

XVIII. Omnibus et singulis utriusque sexus Regularibus suppressis, indulget, ut pecunias legitimo titulo acquisitas de licentia Superiorum suo-

rum, et, quatenus agatur de monialibus, de licentia Ordinarii loci in honesto et licito investimento, sive nomine proprio, sive per interpositas personas caute collocare possint; ea tamen lege, ut Regulares in Communitate viventes titulos, ac redditus earumdem pecuniarum eidem Communitati, aut alicui tertiæ personæ, ut supra, tradere teneantur; neque de iis pariter ullo modo absque licentia eorumdem Superiorum, aut ipsius Ordinarii disponere valeant.

XIX. Declarat denique præmissa censenda esse concessa sine ullo præjudicio cujuscumque generalis, seu specialis Indulti alicui Ordini, seu personæ a S. Sede impertiti, iisdemque præmissis cujuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti Constitutiones ac cætera quæcumque, etiam speciali mentione digna, in contrarium facultia, minime obstare.

Datum Romæ, in S. Pœnitentiaria, die 18 Aprilis 1867.—A. M., CARDINAL. PANEBIANCO, M. P.—L. PEIRANO, S. P. Secretarius.

RESPONSUM

SACRÆ PŒNITENTIARIÆ APOSTOLICÆ

Cum Sacra Pœnitentiaria Epistola data sub die 18 Aprilis 1867 decreverit n.º 3.—Domus Regulares, civiliter suppressas, dummodo in eas, tres saltem, ad ibi degendum conveniunt Regulares, quorum unus ad minus sit Sacerdos, jurisdictioni Ministri Provincialis fore subjectas, easque regendas esse per Superiorem peculiarem ibi constituendum:

Quæritur 1. Quomodo se gerere debeant Superiores Provinciales et Locales, dum Ordinarius loci subjicere vult Sacræ Canonicæ visitationi ecclesias et domos, ac visitationi ita dictæ auriculari Regulares, qui in numero ternario simul habitantes, ec-

clesias ipsas et domos sui Ordinis tenent?

Sacra Pœnitentiaria, mature perpen-
sive expositis, censuit responden-
dum ad primum prædictas ecclesias,
ac domos, nec non Religiosos ibidem
degentes eadem immunitate gaudere
a jurisdictione Ordinarii, qua antea
fruebantur.

Quæritur 2.º An relatum decre-
tum Sacræ Pœnitentiariæ compre-
hendat casum, in quo, vel ob defec-
tum habitationis, vel violentia impe-
diti, simul habitare non possunt, et
tamen multo plures quam tres quoti-
die conveniunt, ad sacrum faciendum,
ad confessiones audiendas ac alia per-
agenda officia, ad Ecclesiam proprii
Ordinis, quæ ad eorum confratre te-
netur, ibique etiam vel in Sacrario,
vel in aliquo cubiculo de rebus Ordinis
et conventus regulariter pertractant?

Ad 2.^{um} Quatenus prædicto Regu-
lares, qui ob defectum habitationis,
vel violentiam prohibentur habitare
intra claustra, in domo proxima con-
ventui commorentur, unaque cum
eo vel iis, quibus permissum est in-
tra claustra habitare, convenire so-
leant quemadmodum in quæsitu asse-
ritur, ad sacras functiones in eccle-
sia propria peragendas, et ad ea, quæ
ad Ordinem et conventum pertinent
curanda, affirmative, idest, compre-
hendi: secus, negative, ita tamen, ut
Ordinarii suam in personas jurisdic-
tionem ultra politiam et disciplinam
ecclesiasticam extendere nequeant,
salva quoad disciplinam regularem,
et obligationes, quæ ex religiosa pro-
fessione promanant, jurisdictione Su-
periorum Regularium juxta num. 2.^{um}
Instructionis prædictæ.

Et quatenus affirmative:

Quæritur 3.º Quomodo Superio-
res se gerere debeant, dum eccle-
siam et Regulares Ordinarii loci
Sacræ Visitationi subjicere vult, prout
in 1.^º dictum est?

Quoad 3.^{um} provisum in 2.^º

Quæritur 4.º An Regulares, qui
licet simul habitare non possint, ta-
men simul conveniunt, ut in 2.^º dic-
tum est, et statutis diebus, sub di-
rectione unius ex suis Confratribus,
dant et audiunt solutionem casuum
conscientiæ, teneantur ad Ordina-
rium, vel parochum loci accedere, ut
dictæ solutioni intersint?

Quoad 4.^{um} provisum in 2.^º

Cum in eadem Epistola num. 2,
Sacra Pœnitentiaria declaraverit ju-
risdictionem Superiorum Regularium
in proprios subditos suppressos,
etiam extra claustra degentes, mini-
me cessasse, ipsosque tantummodo
declaraverit subjectos jurisdictioni
Ordinarii loci quod politiam et dis-
ciplinam ecclesiasticam.

Quæritur 5.º An Ordinarius loci,
vi hujus declarationis, potestatem
habeat, independentem a beneplacito
Superioris Regularis et etiam contra
expressam ejus voluntatem, injungen-
di sacerdoti regulari, qui licet, vio-
lentiæ coactus, separatus ab aliis
Confratribus vivat, tamen in omni-
bus sui Ordinis Superiori obtempe-
rat, executionem muneris vel officii
alicujus ecclesiastici permanenter et
irrevocabiliter?

Resp. Negative.

Quæritur 6.º An Ordinarius loci
possit cum Regularibus dispersis per-
tractare de rebus ad Ordinem, vel ad
Ordinis ecclesias pertinentibus, ut
aliquid decernat, inaudito Regulari
Superiore?

Ad 6.^{um} Quoad primam partem, hoc
est, quoad res ad Ordinem pertinen-
tes, Negative: quoad secundam par-
tem, hoc est, quoad res pertinentes ad
Ordinis ecclesias in casibus de qui-
bus dictum est in 1.^º et 2.^º, jam pro-
visum: in cæteris recurrendum esse
in casibus particularibus.

Quæritur 7.º An paroci advocare
et cogere possint Regulares violenter
dispersos, qui vivunt prout in num. 5.^º
ad ecclesiasticas functiones in ecclesia
propriæ parœciæ peragendas, etiam in

casu quo Regulares in assistentia præ-
standa Ecclesiæ proprii Ordinis occu-
pati inveniantur, et præcipue si ad
eam quotidie conveniant ut in 2.^º
dictum est?

Ad 7.^{um} Quoad eos de quibus ac-
tum est in quæsitu 2.^º, jam provi-
sum: quoad ceteros, Negative nisi
speciali titulo servire ecclesiæ paro-
chiali teneantur.

Non raro evenit, quod Gubernium
civile vel Municipia, post consumma-
tam usurpationem ecclesiarum ac
domorum Regularium, ecclesias ip-
sas et aliquam partem domus Ordina-
rii loci vel paroci concedunt,
etiam cum conditione expressa eri-
gendi in dictis ecclesiis parœciam
vel succursalem parœciæ.

Quæritur 8.º An Ordinarii loco-
rum et etiam paroci uti possint ad
suum beneplacitum dictis ecclesiis
vel domibus sibi ab usurpatoribus
concessis, an potius teneantur eccle-
sias et domus Superioribus Regulari-
bus, ad quos de jure pertinent, res-
tituere?

Quoad 8.^{um} generatim loquendo,
Negative, sed recurrendum in casibus
particularibus.

Quæritur 9.º An in casu quo agi-
tur de erectione parœciæ, vel suc-
cursalis parœciæ in dictis ecclesiis,
possit Ordinarius loci parœciam vel
succursalem erigere, ipsamque provi-

dere independentem a Superiore Re-
gulari, an potius teneatur ipsam pa-
rœciam aut succursalem erigere et
providere secundum modum præscrip-
tum ab Apostolicis Constitutionibus
pro parœciis Regularium?

Quoad 9.^{um} generatim loquendo,
Negative, sed recurrendum in casibus
particularibus.

Datum Romæ, in S. Pœnitenti-
ria, die 12 Septembris 1872.—A. PEL-
LEGRINI, S. P., Reg.—L. CANONICUS
PEIRANO, S. P., Secretarius.

NOTA. Hæc omnia habent vim
præceptivam pro Italis, Gallis, cæte-
risque (si habeantur) ad quos Sancta
Sedes hanc jurisprudentiam exten-
sam voluit. Pro Regularibus dispersis
et in aliis regionibus degentibus, vim
retinent *directivam*, quatenus mentem
S. Sed. in simili casu proponant, mu-
tatis tamen mutandis ex peculiaribus
circumstantiis loci vel regionis. (Ex
Kal. Prov., 1899.)

Si jus commune quoad exemptionem
ab Episcopo per Decr. S. Pœnit.
suspensum remaneat pro regionibus
ad quas prædicta Decreta fuerunt ex-
tenta, jus commune ex Tridentina
Synodo præscriptum, quod Regulares
extra claustra vel domum delinquentes,
in suo vigore remanet. (Sac. Congreg.
Episc. et Reg., 26 Mart. 1897.)
(Ibid.)